# STUDIA SYNTACTICA

## II.

## DE STRUCTURA VERBORUM CUM PRÆPOSITIONIBUS COMPOSITORUM

QUÆ EXSTANT APUD M. ANNÆUM LUCANUM

COMMENTATIO

QUAM SCRIPSIT ET PERMISSU
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS UPSALIENSIUM

PUBLICE DEFENDET

E. NORDENSTAM
PHIL. DOCT.

IN AUDITORIO VIII A. D. XI KAL. JUN.
H. A. M. S.

GÖTEBORG
WALD. ZACHRISSONS BOKTRYCKERI
1896

Duobus præcipue modis comparativa vel potius historica illa grammaticorum disciplina ad progressus syntaxis linguarum veterum valuit. Primum est, quod formarum origines et significationes principales explicavit, quæ res ad structuras syntacticas percipiendas maximi est momenti. Deinde effecit, ut via et methodus ipsa commutata sit. Nam ii, qui in hac scientia his proximis decenniis versati sunt, non modo certæ cujusdam ætatis sermonis consuetudinem descripserunt, sed etiam quomodo singulæ structuræ per annos commutatæ sint, exposuerunt. Quid, quod nonnulli, ut *Ziemer*[1], quibus modis et legibus structuræ inter se cohæreant et quam vim alia ad aliam formandam habuerit, exponere conati sunt Tamen si his studiis non multum atque exspectatione fortasse minus profectum sit, hoc rei ipsi, non viris tribuendum est. Formarum enim commutationes quum nulla conscientia natura ipsa plerumque fiant, ad simplices leges facilius revocari possunt. Structuræ autem syntacticæ quales fiant et commutentur, in loquentis arbitrio sæpe positum est, totque res ad eas constituendas valent, ut certæ leges commutationum earum vix perspici possint. Quo factum est, ut, qui syntaxi operam dederunt, non ultra staticas, quæ vocantur, enumerationes earumque comprehensionem progressi sint[2]. Sed quæ protulerunt, minime despicienda sunt. Nam quomodo per ætates variaverint structuræ grammaticæ formarumque usus, quasi sub uno aspectu perlustrare posse, hoc quis parvi æstimet?

Sed omnes scriptores omnium ætatum perscrutari non unius viri est. Itaque quum necessitas mihi imposita esset, ut me in litterarum latinarum studio versatum esse specimine aliquo demonstrarem, non plane operam me perditurum esse putavi, si, quomodo verba cum præpositionibus composita apud Lucanum struantur, accurate perscrutatus, exempla collecta in uno libello edidissem Hoc quum facerem, *Österbergii* vestigia secutus sum, qui duabus commentationibus, quarum inscriptiones infra afferentur, alios poetas epicos ejusdem ætatis, qua viguit Lucanus, optime tractavit. Atque si cui artius ad ejus latus me applicasse videar, quum eadem fere rerum collocatione, qua ille, usus sim, hoc mihi vitio ne tribuas. Nam eo facilius scriptorum, quos tractavimus, sermonis usus inter se comparari possunt.

De Lucani sermonis consuetudine scripserunt quum alii tum *Obermeier*,[3] qui quidem multas res, quæ hoc libello tractantur, antea protulit. Hic quum non omnia, quæ huc pertinent, complexus sit, has res iterum examinare non dubitavi. Uno vel duobus locis exempla, quæ me fugerunt, ex ejus libello desumpta sunt.

[1] *H. Ziemer* Junggramm. Streifzüge im Gebiet der Syntax. 2. Aufl. Colberg 1883.

[2] Cfr quæ disputavit *Streitberg* in annalibus, qui inscribuntur *Indogerman. Forschungen.* Vol. III. Anzeiger 3 pag. 175 sq.

[3] Vide infra.

In hoc libello conscribendo hos præsertim libros adii:

M. Annæi Lucani De bello civili libri X. ed. Carolus Hosius. Lipsiæ 1892.

M. Annæi Lucani Pharsalia ed. C. E. Haskins. London 1887.[1]

J. Obermeier, Der Sprachgebrauch des M. Annæus Lucanus. I. Monachii 1886

P. J. Österberg, De structura verborum cum præpositionibus compositorum, quæ exstant apud Valerium Flaccum, P. Papinium Statium, M. Valerium Martialem. Holmiæ 1883. (Österberg).

P. J. Österberg, De structura verborum cum præp. compos., quæ exstant apud Sil. Italicum. Göteborg 1894.

Præterea libris grammaticis Kuehneri, Drægeri, Schmalzii usus sum.

Ceterorum librorum et commentationum, quos laudavi, inscriptiones suo quamque loco afferam. In codd. manuscriptis laudandis iisdem siglis, quæ exstant in editione Hosii, usus sum.

---

Priusquam ad singula verba tractanda transeo, aptum videtur paucis explicare, quid de origine structurarum, quas admittunt verba cum præpositionibus composita, omnino sentiam. At hic monendum est, quum hanc rem copiosissime tractaverint *Österberg*, alii, non multa me habere, quæ addere potuerim.

Quod ad originem verborum compositorum attinet, inter omnes constat, hoc fere modo ea orta esse. Initio non erant verba composita Quod quum ex aliis tum ex hoc apparet, quod in linguæ vetustissimis monumentis partes vocabuli compositi disjuncta sæpe inveniuntur. Sed quum certam præpositionem cum certo verbo sæpe conjunxissent, hac consuetudine effectum est, ut verbum et præpositio in animo loquentis in unum comprehenderentur et conjuncta pronuntiarentur, ubi accentu mutato alterum vocabulum vocalem sæpe commutaret.[2] Hoc modo novum quoddam verbum re vera fictum est, quo nova notio exprimeretur. At apertum est, partes verbi compositi initio velut sui juris fuisse neque prorsus in unum coaluisse ob eamque rem suam quæque significationem non amisisse. Cujus rei documento est, quod sæpe disjuncta occurrebant præpositio et verbum. Sed sensim in unum magis magisque coaluerunt, novasque significationes induit verbum, ubi quid ab origine verbum et præpositio significassent, vix apparuit.

Sed cave credas omnia verba cum præpositione composita hoc modo orta esse. Nam quum major verborum compositorum multitudo jam orta esset, natura ipsa effectum est, ut nova verba hujus generis ad similitudinem priorum, id est per analogiam, fingerentur. Hæc igitur verba velut statim perfecta provenerunt neque ut illa in locum verbi simplicis præpositione addita successerunt. Ac rem ita se habere quis neget? Nam plurima verba composita numquam a præpositione sejuncta apparent neque credibile est ea umquam sejuncta fuisse. In his quoque valet idem, quod in illis: præpositio verbumque suam quidque significationem aut retinuerunt aut amiserunt in unumque coaluerunt.

Aliud vero verborum genus eorum est, quibus præpositio ideo addita est, ut vis simplicis verbi augeretur vel minueretur.[3] Neque hæc pro simplicibus sequente præpositione posita esse credibile est.

Itaque significationis ratione habita tria verborum compositorum genera distinguenda sunt. Primum est eorum, quæ præpositione addita vim suam non multum commutent sed augeant tantum vel comminuant. Quæ verba, quoniam compositione structura nihil mutatur, hoc libello

[1] M. Annæi Lucani Pharsalia ed. C. M. Francken Vol. I (Libb. I—V). Lugduni Batavorum 1896 serius apparuit, quam ut ea editione uti possem. Paucis tamen locis commentarios ejus adii.

[2] Cfr *Corssen* Aussprache und Vokalismus. Leipzig 1870. II. pag. 396.

[3] Cfr Österberg p. 13. Hujus generis sunt *perficere conficere*. Cfr suec. *afskilja från* pro *skilja från*. Neque de structura neque de significatione multum hac compositione mutatur.

non tractabimus. Aliud genus ea continet, in quibus et præpositio et verbum principalem vim retinuerint et principalem significationem exhibeant. Ad tertium vero genus ea referamus, in quibus verbum et præpositio ita in unum coaluerint, ut originaria significatione abolita novam quandam induerint vim. Sed difficillimum sæpe est dijudicare, ad quod genus hoc vel illud verbum referendum sit. Nam ita arte inter se cohærent illa genera, ut idem verbum prout variat significatio, modo ad unum, modo ad aliud genus referendum sit.

Jam vero ad quæstionem illam transeamus, utrum a præpositione an a significatione pendeat verbi structura. Quomodo inter se discrepent sententiæ, quas viri docti de hac re proposuerunt, quibusque rationibus eas probaverint, ab *Osterbergio* expositum est (pag. 7 sqq.). Hoc unum addam, ne *Haasium*[1] quidem omnes has structuras eadem ratione explicasse, neque omnino ille sibi consentaneus fuisse videtur. Nam altero loco (Vorles. p. 73) declarat significatione effici, ut verba quædam composita hanc vel illam structuram admittant. Ut dicit verbum *circumstare* accusativum regere, quia idem significet quod *cingere*. Altero autem loco (pag. 130) præpositionis vi fieri ait, ut verba *accumbere*, *instare*, alia apud priscos scriptores accusativum regant.

Neque re vera fieri potest, ut aut præpositione aut significatione omnes has structuras contineri dicamus. Immo ut *Osterberg* sic ego quoque duo verborum genera esse puto, quorum in altero præpositio, in altero vis verbi ad structuram formandam magis valeat. Illo modo priscis linguæ temporibus rem se habuisse jure putandum est. Nam nondum tam arte conjuncta erant verbum et præpositio, ut non utriusque vis pro se appareret. Sed quum postea verbi partes in unum concrevissent, et in animo loquentis pro uno novo verbo acciperentur, ad similitudinem aliorum verborum ejusdem significationis hoc novum verbum structum est. Ut verba, qualia sunt *anteire* et *a*[illegible] illud cum accusativo, hoc cum dativo conjuncta occurrunt, quia in hoc *opem ferendi* in illo *superandi* notio inest. Et hujus generis omnia fere [illegible] habenda sunt, quæ apud posteros scriptores [illegible]. Quæ sententia etiam cum iis consentit, quæ de origine verborum compositorum apud posteros supra disputavimus. Significatione igitur horum verborum structuram maxime contineri [illegible] præpositio ad significationem constituendam valuerit, hæc alia quæstio est.

Excipienda videntur verba, qualia sunt *supereminere*, *antevolare*, alia, quæ jam conjuncta, jam disjuncta apparent neque in unum coisse videntur. Jure contendit *Osterberg* in his plane apparere, quomodo ad structuram formandam valeat præpositio. Sed haud scio, an his verbis proprium sit, quod, a poetis ficta neque ab aliis usurpata, forma et specie aliis verbis dissimilia fuerint ob eamque rem in his, quia a communi consuetudine aliena essent, facilius apparuerit compositio. Ita factum est, ut præpositio vel præpositiones velut sui juris evaderent et a verbo facilius separarentur. Sic in his verbis præpositionis vis etiam in structura formanda major facta est.

[1] *Fr. Haase*, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Leipzig 1880.

# Caput I.

Singula verba proferens, ab iis incipio, quæ cum præpositionibus *ab, de, ex* composita sunt. In his struendis aut præpositione aut dativo exhibetur, a quo quid amoveatur vel sejungatur. Dativum tum plerumque poni, quum de personis agatur, quum de rebus, ablativum, inter omnes constat. Dativi vero usus quomodo explicandus sit, inter viros doctos dissensio est. *Österberg* negat hunc dativum jure dat. commodi vel incommodi vocari. Nam *Haasium* secutus est, qui eum cum dativo, qui ad alia verba composita occurrat, arte cohærere contendit, ubi dativum personalem quandam relationem exprimere docet.[1] Sed haud scio, an non multum inter se discrepent hæ duo sententiæ. Nam si ea, quæ de dativo disseruit *Schmalz*[2], respexerimus, facile apparebit, et dativum illum commodi et eum, qui ad verba composita invenitur, ad eam dativi originariam significationem esse referendos, qua significet remotiorem quasi relationem, quæ inter subjectum et aliam aut rem aut personam intercedat. Eam enim esse principalem dativi vim docti viri docent.[3] Neque hanc sententiam refellere possunt, quæ de dativo commodi disputat *Haasius*. Nam et ipse putare videtur hunc dativum eadem fere vi esse, qua eum, qui ad alia verba composita occurrat, et exempla, quæ attulit, documento sunt, quam difficile sit hæc dativi genera distinguere. Quid enim est, cur verba *nocere, invidere alci* ad aliud, ad aliud *timere, metuere alci* significationis causa referamus? Quin etiam verbum *curare alci* ad utrumque genus referre videtur.[4] Quæ cum ita sint, rationem, quam de dativi vi et generibus proposuerunt viri docti *Schmalz*, alii secutus, non dubitandum puto, quin hic dativus, de quo agimus, commodi vel incommodi jure habeatur.

Quod ad Lucani sermonis usum attinet, a consuetudine aliorum poëtarum ejusdem ætatis non multum discrepat. Ablativo et dativo sæpius usus præpositiones minus adhibuisse videtur. Primum apud poëtam nostrum inveniuntur cum ablativo conjuncta verba *abluere, amoliri*. Errat *Obermeier*, qui verbum *depellere* nisi cum ablativo non conjungi dicit. (Oberm. pag. 55). Neque *emittere* cum *ex* præpositione structum neque *exserere ab* apud poetas æquales inveniuntur. His præmissis ad exempla enumeranda transeo:

**abducere** verbum sequitur *ab* præpositio VII. 311. *dii, quorum curas abduxit ab æthere tellus.* Utrum dativus an ablativus accipiendus sit, his locis incertum est: VI. 451. (Erichto) *abducit superos aris.* Hosius Cod. M. secutus *abducet* scripsit. Sed melius Haskins *abducit;* cur enim futuri forma hic uti oportuit? IX. 618. *mundo terram* Cod. C. *obducere.* X. 153. *abductus consul aratris.*

**abesse.** De hujus verbi significatione et structura vide Dræger I pag. 504 et Österberg p. 18. Exstat apud nostrum *ab* post *abesse* a) proprio sensu = remotum esse ab: VIII. 741 *conjunx a munere busti.* b) sensu translato: VII. 299 *a votis* (cfr Martialis VII. 7, 6. *votis abesse*). Dativus occurrit V. 387 *sibi jus ferri.* IV. 399 *menti favor.* Incerti casus forma V. 664 *meis titulis nulla potestas.*

**auferre** proprio sensu usurpatum cum *ab* præpositione conjungitur IX. 1061 *dona ab aspectu.* Aliis locis idem significat quod *adimere.* Sequitur certa dativi forma IV. 23 *nomen tibi.* X 513 *excursus hosti.* VIII. 58 *miseræ coelum.* Hoc verbum sequente certa ablativi forma cum nus-

[1] Vorlesungen p. 125 sqq.

[2] *Schmalz* Syntax (Ed. II). pag. 425.

[3] Cfr *Dræger* Syntax (Ed. II). I. pag. 1021.

[4] Cfr Vorles. pag. 121 et 117.

quam appareat, his quoque locis dativus accipiendus est: III. 278 *gloria metis Herculeis.* III 708 *rostris ictus.* IV. 691 *Libyam tyranno.* IV. 664 *omen collibus.* VI. 412 *vias sideribus.* VIII. 207 *Magno reges.* IX. 365 *arboribus pretium.* IX. 956 *nomen pelago.*

**abigere** semel exstat; sequitur incerti casus forma VI. 735 *vos urnis.*

**abire** III. 509 *spes victis.*

**amoliri** cum ablativo jungitur V. 355 *humeris onus.*

**abluere** verbum sequitur ablativus VI 669 *tabo medullas.*

**abnegare** III. 263 *tellus non abnegat flumen undis* i. e. undas fluere sinit.

**abrumpere** cum dativo vel ablativo conjungitur VI. 57 *Ephyren regnis.* VII 293 *abruptum nostro mare* IX. 308 *abrupta terra profundo.*

**abscidere** cum ablativo jungitur VIII. 674 *trunco cervix abscisa.* Sensu translato detrahere, minuere IV. 503 *abscidit multum nostræ laudi.* Cod. U habet *abscindit.* Utra scriptura retinenda sit, haud facile dijudicatur, cum hæc verba in codd mss. sæpe inter se commutentur. Aliquot codd. pro verbo *laudi* præbent *laudis.*

**abstinere** 1) præpositio *ab,* reflexivo sensu: IV. 242 *a magistro.* 2) ablativus: IX. 1010 *tellures rates.*

**absterrere** V. 129 *ducem ardore.*

**abstrahere** VI. 80 *duces armis.*

**avellere** cum ablativo conjungitur V. 594 *rudentes puppe.* Ablativus his quoque locis accipiendus videtur: II. 694 *uncus harenis.* VI. 34 *saxa metallis.*

**avertere.** Ablativus exstat: I. 65 *Bacchum Nysa* VIII. 763 *manes meis officiis.*

**decurrere** 1) ex præpositio sequitur VIII 715 *e latebris* 2) ablativus: I. 675 *vertice Pindi.* Ablativum accipio etiam II 49 *Achaemeniis Susis.* (X. 502 *lampas ætherio sulco* sulco ablativus viæ est.)

**deducere** verbo subjungitur 1) *ab* præpositio: VI. 70 *agmina a Petra.* 2) ablativus: III. 284 *agmina regnis* VI. 500 *sidera polo.* VII. 222 *agmina terris*

**deesse** verbum ut semper alias cum dativo conjungitur. a) non esse alicui I. 23 *tibi hostes* III. 365. V. 182 *numerus harenæ* V. 670 *mihi busta.* Heinsius scripsit *justa* VI 43 *pabula Magno.* VII. 669 *robur duci.* VIII 571 *non ulli præsagia* b) deserere, non adesse: I 29 *manus arvis* II. 35 *aris parens.* IV. 345 *rapiendo dextera leto.* V. 499 *se deis.* VI. 10 *Latiæ ruinæ.* VI. 153 *cumulo virorum* VIII. 230 *triumphis.* VIII 360 *Emathiæ.* VIII. 534 *adversis.* VIII. 578 *marito.* IX. 1017 *Emathiis armis.* VIII. 738 *robosa misero.* IX 858 *homines venenis* i. e. homines propter serpentes veneno imbutos in hac parte Africæ non habitant

**defendere** cum *ab* præpositione construitur. V. 585 *puppim a fluctu* IX. 521 *templum ab auro.* IX. 306 *se defendit ab æquore tellus.*

**deficere** verbi invenitur participii forma X. 281. *defectus epulis.* III. 625 *robore nervis.*

**defluere.** *Ab* præpositio usurpatur VII. 839 *tabes ab æthere.*

**defundere** IV. 82 *coelo defusum æquor.* Haskins, alii *diffusum.* M. *fusum de coelo*

**dejicere** cum *ab* præpositione conjungitur V. 674 *ab aggere.* Sequitur ablativus VII 840 *membra unguibus.*

**delabi** I 557 *templis*

**deligere** VII. 270 *Grais delecta juventus gymnasiis* Btl. *collecta.*

**demittere** verbum sequitur *ab* præpositio IX. 831 *quam* (i. e manum) *toto simul demittit ab armo* (se. ense). Verbum illud *toto* nullam præbet sententiam. Nonne rectius legitur *totam?* Quæ scriptura cum verbo *simul* optime congruere videtur. Hac igitur sententia hujus loci est. Totam manum uno ictu abscindit.

**depellere** verbum sequitur *ab* X. 242 *nubila ab coelo.* Ablativum sibi assumpsit II. 168 *arce Lentulus* (depellitur). I. 289 *socerum regno.* IV. 690 *solio.* IX. 368 *depulsa locis classis.* X. 87 *sceptris.* ubi cod. B. præbet *expulsa.*

**deripere** verbo dativus subjungi videtur I 240 *adfixa penatibus arma*, ubi ad verbum *adfixa* quoque dativus referendus est.

**derogare** IX. 359 *invidus, qui famam annoso derogat ævo.* Minus recte vertit Haskins: *who impairs the credit of past age.* Potius ita: qui vetat poetam, quæ finxit fama de præteritis, referre».

**descendere** a) ab præpositio: VI 611 *a prima origine mundi.* VIII. 179 *ab arbore.* b) ex præposito I. 335 *ex hoc regno.* Haskins discedere m secutus. M discendere. VI. 808 *e bustis. Discendere B.*

**desilire** verbum ablativus sequitur I 501 *deserta puppe.*

**desistere** III. 144 *coepto.*

**despicere** a) de: V. 639 *de vertice.* b) ex: V. 251 *e culmine.*

**deterrere** X. 375 *ausis.*

**detrahere** ut semper alias dativum sibi assumit VIII. 125 *crimen terræ.* I. 351 *dominos urbi.*

**detrudere** VI. 175 *pectora muris.*

**devertere** cum ablativo struitur VI. 591 *ventum suo cursu.* v scripsit *diverto*, quam scripturam recepit Haskius.

**devolvere** verbum cum ablativo conjungitur II. 491 *moenibus agmen.*

**excedere** a) accusativus: I. 497 *muros* II. 271 *nubes Olympus.* II. 142 *modum.* VIII. 236 *ripam.* b) ablativus IV. 735 *castris.*

**excerpere** cum ex præpositione conjunctum exstat V. 186 *e strage fatorum.* (De libris sibyllinis agitur).

**excire** I. 239 *stratis excita juventus* VII. 362 *primo oriente manus.* VIII. 310 *sedibus.*

**excipere** III. 333 *locus exceptus sceleri.* i. e. locus, ubi scelera non admittantur.

**excludere.** Ablativus exstat VII. 97 *æquore toto.*

**excurrere** verbum accusativum regit VI 273 *ripas.*

**excutere** verbum dativus sequitur I. 69 *pacem orbi.* II. 244 *fidem tibi.* Aperta ablativi forma invenitur V. 710 *ordine puppes.* Incerti casus forma bis locis: III. 409 *nubibus fulgura.* IV. 536 *viris mentes.* VI. 469 *nimbos comis.* VII. 158 *cristas galeis.*

**edere** III 257 *fontibus.* (sc. Euphraten et Tigrida Persis).

**educere** semel cum *ex* præpositione conjunctum apparet. III. 105 *e latebris.*

**effluere** VIII 690 *humor ab alto.*

**effodere** X. 19 *effossum tumulis.*

**effugere** verbum accusativum regit II. 525 *Cæsaris munus.*

**effundere.** a) *ex* præpositio: IX 565 *voces e pectore.* b) aperta ablativi forma: I. 188 *vertice crines* Ablativus his quoque locis accipiendus est: II 129 *parvum sanguinis jugulo.* IX. 808 *se — pressura croci sinis.* Edd. habent *signis*, quæ scriptura vix retinenda videtur. Haskins quidem, quæ ad hunç locum declarandum attulit, vix firmis documentis comprobavit. Gevartius conj. *lignis* i. e. pulpetis theatri. Alii aliter Mihi maxime placet conjectura Heinsii, qui scripsit *sinis.* (Cfr Cav. Lex. vb sinus) Neque Oudendorpio hæc scriptura displicuit. Sinus vel sinum vas significat, unde hauriebatur croceum unguentum.

**egredi** a) ablativus: VI. 520 *nudis bustis.* IX. 173 *puppe.* b) accusativus: V. 510 *tentoria.* VII. 594 *humanum columen.* IX. 794 *humanum modum.*

**exhaurire** verbum cum ablativo inopiæ, qui vocatur, conjunctum exstats II. 410 *Hesperiam aquis.* V. 333 *exhausta sanguine.* VIII. 253 *exhaustæ domus populis.* IX. 170 *exhausta lacrimis.*

**exigere** verbo apposita est *ab* præpositio VII. 771 *poenas a misero* VIII. 22.

**exire** verbo subjungitur 1) *ex* præpositio: IV. 85 *e fontibus*. VI. 313 *e mediis fatis*. (ubi quidam codd. habent *exire*. 2) *ab* præpositio III. 209 *a metallis*. 3) ablativus: II. 485 *fontibus*. IV. 202 *lancea dextra*. Ceteri loci sunt VI. 122 VII. 193 VIII. 493 IX. 533 X. 216.

**elabi** translata significatione semel occurrit IX. 80 *de pectore Magnus*.

**eligere** VI. 157 *e cunctis*

**emergere** IV. 128 *colles stagnis*.

**emicare** verbo subjungitur ablativus I. 533 *coelo lampas*. III. 639 *volnere sanguis*. Translata significatione IV. 550 *semine cohors Dircaea*.

**eminere** a) ablativus: II. 666 *aequore rupes* V. 76 *fluctu cacumen* (Haskins et A *emicuit*). V. 641. *aequore malus* b) super: IV. 431. Cunctas *super turris*.

**emittere** a) ablativus: VI. 91. *emittit Stygium aëra saxis* B *egeris helisium*. Corte *erigit elisum*. b) *ex* præpositio: VI. 291 *arma e collibus*.

**expellere** a) *ex* præpositionem inveni II. 574 *urbem* (i. e. urbanos) *e sedibus*. b) ablativus: I. 266 *urbe tribunos*. II. 242 *omnibus terris*. Cod G *e terris*. III. 52 *pectore curas*. III. 712 *sedibus* III. 12. VI. 735 *vos tumulis* V. 209 *templis*.

**exprimere** VI. 599 *manibus verum*. IX. 1039 *gemitus pectore*.

**eripere** apud Lucanum semper idem quod *subtrahere* vel *adimere* significat. Dativi aperta forma multis locis sequitur, omnibus dativus accipiendus videtur. Sunt hæc exempla: I. 340 *mihi mercedem*. II. 721 *flammas astris*. IV. 193 *veniam populi*. V. 63 *regnum sorori*. V. 265 *partem tibi*. VI. 327 *tibi quietem*. VI. 597 *hoc juris casibus*. VII. 233 *victori gentes*. VII. 824 *tibi rura* IX. 325 *carbasa nautis* IX. 981 *omnia fato*. X. 5 *mundo caput*.

**eruere** III. 156 *conditus templo census populi* i. e. thesauri.

**erumpere** a) *de* præpositio: IX. 255 *de pectore voces* b) *ab* prep.: X. 256 *ab Oceano Nilum* (acc. e. inf.). c) ablativus: IV. 732 *castris*. VI. 555 *sanguis jugulo*. X. 264 *venis*.

**exserere** V. 598 *caput ab Oceano*.

**exsilire** verbum cum ablativo conjungitur I. 488 *sedibus*. V. 791 *stratis*. VI. 398 *saxis*.

**exsolvere** verbum sequente ablativo liberare. VII. 262 *gladios culpa*. Alii codd. *culpam* vel *culpas*. Alia significatione præstare usurpatur IX. 98 *tibi fidem*.

**extrahere** a) *de*: IX. 935 *de corpore mortem* b) ablativus: VI. 559 *volnere ventris partus*. Utrum sit dativus an ablativus, dubium est VI. 635 *monstro potenti extractus populus*.

**evadere** verbum ablativus sequitur. VI. 118 *claustris*.

**evellere** VI. 255 *tela membris*. IX. 155 *tumulis*.

**evolvere** II. 184 *sedibus orbes* i. e. oculos VI. 171 *cadavera turribus*. IX. 158 *Isim busto*. IX. 876 *evolvimur orbe*. M. et *volvimur*.

---

# Caput II.

Tum ea verba composita, quæ accusativum regunt, mihi tractanda sunt. Ex his ea, quorum simplicia transitiva sunt, huc non pertinent, nam de structura eorum compositione nihil mutatur. Neque ejus accusativi rationem habui, qui ad corporis partem significandam ad verba

passiva apponitur. Verba, qualia sunt *exuere, induere* cet., alio loco tractanda sunt. Ea quoque verba, quæ cum intransitivis composita præter accusativum etiam dativum vel præpositionem sibi assumunt ut *accedere* cet., nunc omitto. Hic igitur de iis verbis disseram, quæ cum intransitivis composita transitivam vim sibi assumpserunt. At tamen antequam ad ea transeo, pauca quædam verba enumerabo. quæ quum simplicia eorum apud poëtas transitiva vi prædita a prosæ scriptoribus intransitive usurpentur, apud poetas transitivam vim retinuerunt.

**adflare** VI 491. *humano serpens adflata veneno.*

**deplorare** VI. 788 *subolem.*

**exhalare** IV. 65 *nebulas.*

**inumbrare** IV. 456 *æquor.*

**perflare** IX. 349 *marmora.* (Heinsius) Codd. habent *murmura* aut *litora.*

In iis verbis proferendis, quorum simplicia semper intransitiva sunt, ab iis incipio, quæ cum præpositionibus accusativum regentibus composita sunt.

**adfari** II. 632 *natum.* VI. 589 *quam* (Erichto). VIII. 110 *Magnum.*

**adire** a) accusativus rem significat: III. 208 *Mæandron.* VI. 773 *oracula,* VIII. 162 *urbes.* VIII. 251. *te* (Phaselis). IX. 347 *paludem.* b) agitur de persona: VIII. 232 *me* (Magnum). X. 83. *quem* (Cæsarem).

**adloqui** II. 530 *cohortes.* Nullo casu adjecto exstat IX. 612.

**circumfluere** translata significatione semel usurpatur III. 421 *robora amplexos circumfluxisse dracones,* ubi ad verbum *complexos* quoque accusativus pertinet. Edd. vett scripserunt *circumfulsisse.* G. habet *circumflexisse.* Harum scripturarum neutra satis bonam sententiam præbet.

**circumire** verbum de rebus inanimis semper usurpatur propria significatione. I. 606 *urbem.* IV. 464 *hanc* (molem). V. 463 *quam* (tellurem) VI 223 *hastam.* VII. 668 *signa et catervas.* VIII. 200 *lævum axem.* IX. 915 *ultima castrorum* IX. 964 *nomen Trojæ.* X. 17 *templa.*

**incedere** II. 675 *fretum.*

**incessere** VIII. 64 *fatum.*

**ingredi** II 503 *fluvium.* IX. 378 *harenas* = IX. 395.

**inire** translata significatione occurrit X. 97 *nihil juris paterni.* Neque apud nostrum neque apud Silium Italicum propria significatione usurpatur.

**invadere** a) proprio sensu ponitur I. 231. *vicinum Ariminum.* IX 830 *manum.* X. 355 *domum.* b) translata significatione usurpatum exstat: I. 242 *clipeos* = invenire Cfr. St. Ach. 292 *arma invadere.* II. 315 *me ferro.* IX. 198 *ferrum.* IX. 410 *invasit Libye fata Catonis.*

**invehi** VIII. 554 *invectus Capitolia.*

**invenire** I. 34. I. 333. II. 239. III. 125. III. 582. III. 671. III. 732. IV. 62. IV. 350. V. 140. V. 188. V. 326. V. 407 V. 513. VI 280. VI. 631. VII. 167. VII. 753. VII. 475. VIII. 774. IX. 93. IX. 1030. X 397. X. 411.

**obire.** VI. 205 *vulnera* = subire, se objicere. Alia significatione = perlustrare exstat VII. 565 *cadavera.*

**obsidere** III. 350. IV. 94. IV. 502. V. 450. VI. 117. VI. 501. X. 490. X. 546.

**pererrare** VI. 625 *corpora.*

**pejerare** (de hujus verbi compositione cfr. Stolz Gr. p. 270) occurrit VI. 749 *Stygias undas.*

**præterire** V. 719 *litora.*

**superenatare** IV. 134 *amnem.* Codd. excepto cod. G habent *superemicat,* quam scripturam retinuit Hosius. Utrumque verbum rarissimum est. *Superemicare* apud Avienum exstare Cavallin

auctor est (Cav. Lex. hoc vb); *superenatare* apud Alcimum invenitur (Georges: lex.). Sed melius ad sententiam hoc quadrare videtur[1])

**superevolare** III. 299 *Alpem.* De hoc verbo, quod ἅπαξ εἰρημένον est, Fick egit[1]) Putat hoc verbum ad analogiam verbi *supereminere* fictum esse. Cfr V. 594. *fragilem super volitantia malum vela*, ubi verbum a præpositione et in codd. et ab edd. sejungitur.

**transcurrere** V. 406 *tecta.*

**transire** a) proprio sensu — transgredi VI. 290 *munimina valli,* VIII 432 *Araxen.* IX 975 *rivum.* b) — transfigere: III 466 *lancea unum latus* (i. e. unum virum). c) — præterire: VIII. 822 *nomen Pompeji* (in busto insculptum). d) — antecellere, præstare: II. 565 *Pompejum.* VI. 437 *quas* (Hæmonides). Afferendum puto VIII. 20 *transire per urbes* Haskins cod. U. secutus, *orbem* scripsit, quæ scriptura meliorem sententiam præbet. Idem fere significat, quod *transire orbem.*

**transscendere** I. 304 *Roma concutitur, quam si transscenderit Alpes Hannibal* Cod VG b et Haskins *transscendent.* IV. 175 *vallum.* VI. 325.

**transsilire** V. 512 *membra vigilum.*

His allatis ea verba enumerabuntur, quæ cum præpositionibus ablativum regentibus composita sunt.

**præcedere** a) — anteire, antevenire: II 692 *Virgo Chelas.* III. 750 *letum nati.* IX. 400 *turmas* IX. 587 *ora militis.* b) — antecellere VIII. 330 *quos (viros).*

**prælabi** VI 76 *moenia.* Utrum ad præpositionem *juxta* referendus sit accusativus an a verbo *prælabi* pendeat et pro adverbio accipiendum sit verbum *juxta*, in dubium vocari potest IX. 355 *Quam juxta Lethon tacitus prælabitur amnis.*

**præstare** a) — præbere, significare his locis occurrit: II. 229 IV. 24, 213. V. 42, 593, 771. VI. 234, 830. VII. 563, 674, 682, 721, 854. VIII. 141, 256, 323, 657, 704. IX. 236, 240, 247. X. 388. 394.

**prævehi.** IX. 1003. *Asiam potentem (provehitur G).* X. 307 *plagas.*

**prævenire** accusativum regit IV. 167. *hostem.* IX. 640 *metus.*

# Caput III.

Ad ea verba transeo, quæ cum simplicia eorum intransitiva sunt, aut accusativum aut dativum (aut præpositionem quandam) regunt. Inter accusativum et dativum ad hæc verba positum vix ullum esse significationis discrimen docuit *Österberg* (pag. 87). Jure enim contendit e scribentis consuetudine vel arbitrio pependisse, utrum casum poneret. Ad quæ conferas, quæ disputavit *Schmalz* (Syntax pag. 424.) de usu dativi vel accusativi post verba, qualia sunt *curare, persuadere cet.*

Animadvertendum est me huc omnia verba retulisse, quæ variam illam structuram habere solent, etiamsi apud nostrum nisi altero modo non structa sint. Sequuntur exempla:

**accedo** a) præpositio *ad:* I. 469 *vana ad veros fama timores.* b) ceteris locis dativus sequitur. 1) Significat motum vere localem VIII. 201 *metæ.* VIII. 228 *pelago.* 2) Translate usurpatur I. 42 *his fatis Cæsar.* II. 139 *Sulla cladibus.* II 555 *titulis* (i. e. triumphis) III. 197 *fatis mors.*

[1]) Cfr *Fick* Krit. u. Sprachl. Untersuchungen zu Lucan. Straubing 1890 pag. 53.

V. 622 *terra regno secundo.* VI 278 *rura colonis.* VIII. 531 *armis accessimus.* i. e arma cepimus. VIII. 486 *fatis deisque accede,* ubi idem fere significat, quod sequi vel parere. Cfr. Sil. Ital. XVI. 521 *socius accede secundis.* IX. 753 *morti.*

**incumbere** verbo, quamvis sæpe occurrat, Lucanus nusquam accusativum subjecit. Sequitur a) dativus: 1) de personis: IV. 278 *gladiis* = IV. 500. IV. 367. *ripis.* V. 85 *adyto* (idem fere valet quod considere). VI. 565 *membris.* VIII. 727 *Magno* IX. 57 *viro.* X 354 *toris.* b) de rebus: I. 390 *Boreas rupibus.* III. 2 *velis auster.* III 648 *turba prono lateri.* IV. 69 *mundo nubes.* V. 718 *puppibus aer.* VII 178 *nox galeis.* cod C *concumbere.* VIII. 393 *tibi tellus.* X. 243 *fluvio nimbi.* X. 424 *mensæ cervix.* X 498 *ignis puppibus.* b) præpositio *in* iterata: III 93 *in Latias oras furor.* III. 409 *in silvas ventus* IV. 770 *in pedites fatum.* Nullo objecto apposito apparet V. 414.

**incurrere** verbum numquam apud nostrum accusativum regit. Exstat dativus IV. 563 *fratribus fratres.* *In* præpositio invenitur VIII. 423 *in Bactra.*

**illabi** non nisi cum dativo conjungitur I. 475 *Nar Tiberino amni* V. 281 *conjugis lacrimis* i e conjugem lacrimantem amplecti.

**irrumpere** verbum sequitur accusativus I. 470 *fama animos.* II. 328 *quas* (fores). — V. 127. V. 166. *Phoebados artus Pæan.* VII 478 *convexa Olympi.* *In* præpositio occurrit II. 441. *vacuos in agros Cæsar.*

**irruere** verbo dativus subjicitur VII. 60. *cladibus.* De significatione cfr Österberg p. 65.

**insilire** verbum ter de navibus dicitur. Sequitur a) accusativus: III. 626 *puppem* Aliquot codd. *puppim.* Ita etiam Hosius. b) IX. 252 *puppi.* X 507 *carinis.* $B_1$ u *carinas.*

**insistere** verbum dativum sibi adsumpsit III. 407 *volucres ramis.* Præter necessitatem Bentleius hoc verbum mutavit in *insidere.*

**involare.** De hoc verbo cfr *Dræger* pp. 378, 418. Non reperitur apud æquales. Exstat apud nostrum VI. 588 *Cæsaris artus,* i. e. comprehendere, arripere. Cfrt Haskins Catull. XXV. 6 *pallium, . . quod involasti.*

**succedere** verbum apud nostrum cum dativo tantum conjunctum exstat. Significat a) ascendere VII. 733 *hostili vallo* Cfr. Sil. Ital. XII 606. b) in alcs locum succedere: V. 721 *Boreæ auster.* c) rem excipere, suscipere: IV. 44 *dux equitem jubet succedere bello* (sc. quum agmina lapsura vidisset) Præter corrigendi necessitatem *Burmannus* conjecit *colli.* Vide Sil. Ital. XIII. 701. *Marcius successit bello.* Idem fere hoc verba significant, quod *auxilio venire proeliumque restituere.*

**subire** verbum apud nostrum semper cum accusativo conjungitur. Significationes variæ huic verbo attributæ sunt, quæ suo quæque loco afferantur. III. 97 *urbem subire* i. e. intrare I. 211 *venabula pectus subeant* = transfigant. III. 475 *muros hostiles subire* = ascendere. Idem VIII. 116 *moenia.* III 576 *profundum vastum s.* = descendere in. Cfr Stat. Silv. II 7. 101. *Lethen.* Translata significatione occurrit IV. 524. *præcepta animos s.* = intrare i. e. commovere. VII. 356 *subire pericula.* IX. 540. Codices habent *Te* (i. e. gens Libyca) *segnis* (Cod. A *legitur et signis.*) *Cynosura subit* Haskins verbum *te* in *et* suo jure mutavit. Vix enim intelligitur, quomodo astra gentem subire dicantur; ad verbum *tibi* autem, quod exstat v. 538, optime refertur verbum *subit.* Hic locus significare videtur: Libyes Cynosuram subire vident.

# Caput IV.

In verbis, quæ dativum regunt, tractandis nulla verba nisi ea proferam, quæ significant motum quendam aut statum, qui per motum efficitur. Alia enim verba composita, quibus subjicitur dativus, ob eam rem huc non pertinent, quod in similitudinem verborum, qualia sunt *nocere alci, auxilium ferre alci* aut *esse alci* prorsus abierunt. Hic dativi usus e communi dativi vi satis explicatur. Nam quum dativa objectum remotius vel finem, ad quem quid tendat, vel quem quis sit assecutus, exprimatur, facile intelligitur, quomodo dativus ad hujusmodi verba positus sit. Hujus vero casus usum apud poetas et posteros auctum esse inter omnes constat. Cujus rei nonnulli eam causam attulerunt, quod dativus personalem quendam rationem, quæ intercederet inter subjectum et objectum, significaret. Nam dativo hoc esse proprium dicunt, quod illo casu objectum, quod ipsum agat vel actionis particeps sit, exhibeatur (cfr *Österberg* p. 70. *Kühner* l. c. II. § 752). Poetas igitur, quippe qui res inanimas ut animantes tractare solerent, ob eam rem dativo sæpe usos esse. Sed hæc de usu dativi sententia num satis firmis documentis fulta sit, in dubium vocari potest. Primum animadvertendum est in originaria, i. e. in vetustissima dativi significatione nihil inesse, cur hic casus præter ceteros de personis adhibeatur, quamquam ad nonnulla verba dativum tum præsertim poni, quum de personis agatur, non est negandum. Sed ob eam rem non est necesse putare dativum omnibus locis, ubi hic casus occurrat, de personis usurpatum esse[1]). Sed qua de causa dativi usus tantum increbruerit, difficillimum est discernere. Observandum utique est dativum etiam aliis modis sæpius a poëtis, quam a solutæ orationis scriptoribus poni, ut et dativus ad verba *abstinendi* cet. et dativus, qui vocatur possessivus, apud poetas sæpius occurrit. (Cfr *Schmalz* p. 424 sqq). Hunc igitur casum videntur adamasse. Cujus rei haud facile est causas eruere. Sed hoc præcipue animadvertamus dativum locali sensu præditum, qui finem, ad quem tendit vel pervenit aliquid, significat, apud poetas (et posteros) sæpius inveniri (*Schmalz* p. 428). Atque quum in verbis, de quibus hoc loco agimus, localis quædam notio inest, quid est magis consentaneum, quam etiam his verbis dativum ad finem significandum a poetis crebro positum esse. Nam dativum ob eam rem finem exprimere, quod cum antiquo illo locativo casu coaluerit, docet *Schmalz* (p. 424). Num breviloquentiæ causa vel rebus metricis permoti poetæ dativum nonnumquam prætulerint, in dubio relinquam. Sed rem ita se habere non omnino denegandum puto.

Quod ad Lucani sermonem attinet, quum multa verba uno vel altero loco appareant, haud facile est de ejus consuetudine certum quidquam statuere. Sed dativum præpositionibus plerumque prætulisse videtur, ejusque casus usus apud eum late patet. His verbis, quæ apud epicos ejusdem ætatis cum præpositionibus quoque struuntur, apud nostrum dativus tantum subjicitur: *addere, admittere, infundere, insurgere, inserere.* Apud Lucanum dativum sibi assumpserunt hæc verba, quæ apud æquales non inveniuntur: *alligare, adquirere, adscribere, coire,* (Cfr *Dræger* p. 412) *subigere, incoquere.* His verbis dativum noster primus subjecit: *Innasci* (de rebus externis) et *intermanere,* quod ἅπαξ λεγόμενον est. De verbis *injectare* et *inlatrare* cfr *Fick* p. 53 sqq. Sil. Ital. 13. 845 et Stat. Theb. 9. 133 hæc verba exstare *Fick* auctor est. De verbis *immittere*

[1] Cfr *Peterson* de Syntaxi Vergiliana quæstiones I ps. 1853 p. 25. Exempla, quæ attulit, hanc sententiam, quam ipse defendit, confirmare non videntur.

et *insculpere* cfr, quæ infra disputavi. Præpositio apud Lucanum, sed non apud æquales ejus sequitur verbum *opponere*. Ad exempla enumeranda transeo:

**accipere** verbum sequitur a) *in* præpositio: VIII. 831. *in templa Isim.* Cod. V *recepimus.* b) ablativus: I. 64 *te (numen) pectore.* IX. 117 *ratem undis.* IX. 756 *fluctus ore.* Afferendum puto III. 628 *ictus per latus.*

**adducere.** V. 162 *virgo adducta cavernis.* Nonnulli codd. *abducta*, quam scripturam recepit Haskins. Sed ad ea, quæ antecedunt, multo melius quadrat illa scriptura. Agitur enim de Pythia, quam paventem adyti penetrale remoti fatidicum in prima parte templorum restitisse (vv. 146, 147), tum vero Appi minis conterritam 'antris mergi' ad tripodasque confugere poeta narrat.

**addere** verbum propria significatione adhibetur: V. 389 *fasces aquilis.* VII. 59 *crimen erroribus.* Ceteris locis translate ponitur significans a) afferre, injicere: I 263 *menti stimulos.* II. 5 *curam mortalibus sollicitis.* (Cfr St. Theb. II. 320) III 762 *decus armis.* VII. 67 *facundia robur invalidæ causæ.* VII. 559 *ignes animis flagrantibus.* b) aliquid augeri: I 292 III. 416 *tantum terroribus.*

**adesse** verbum a) plerumque idem significat quod adjuvare: IX. 911. *populis.* X. 90 *gentibus.* X 105 *vultus precibus.* X. 232. *Nilus mundo.* b) — prope esse: IX. 884 *omnibus fatis* c) — alci esse: VII. 343 *finis civilibus armis.*

**adfigere** verbum semper proprio sensu adhibetur. Occurrit: I. 240 *penatibus arma.* III. 602 *rati adfixus.* III. 708 *sua vulnera* (i. e. corpus suum) *puppi.* III. 682 *ignis adfixus tædis.* VII. 624. *quos hasta campis.* IX. 765 *sepem harenis.* II. 30 *pectora solo affixere.* Haskins scripsit. Mihi melior videtur scriptura codd. U et K, quam recepit. Hosius; *afflixere* habent. Poeta hoc loco de catervis matronarum agit, quæ supplices in templis procumbunt. De verbo *adfligere* cum dativo conjuncto cfr Lex. Cav, aliorum.

**adfixit** et *adflixit* (cf Codd. Horat. Sat. 1. 1. 81.

**adhærere** semel occurrit IV. 248 *gladius dextræ.*

**adjacere** VII. 188. *Tyriis qui Gadibus hospes.*

**adligare** X. 226 *Nilus—nec ripis adligat amnem.* Utrum dativus an ablativus instrumenti sit, parum elucet. Mihi tamen verisimilius videtur hanc formam ablativum esse. Hoc fere modo locum nostrum intelligo: Nilus ripis impedit, ne undæ effundantur. *Adligare* cum dativo structum nullo loco inveni. Sed ut e lexicis apparet, *coercere, detinere* sæpe significat

**adjungere** VI. 55 *Seston Abydo.*

**admiscere** III. 95 *Dacis Getes admixtus* (Btl. conjecit *adjutus*).

**admittere** II 353 *sacris deos testes.* X. 75 *Venerem curis.*

**admovere** verbum a) proprio sensu de locali motu usurpatur: I. 608 *aris marem.* (B *amovet*). VII. 165 *taurus admotus superis* i. e. aris. b) translate ponitur: VII. 591. *Nec tibi Philippos admoveris* i. e. ne ad Ph. contenderis. VI. 181 *cumulo crescente cadavera murum Admovere solo,* in Codd. mss. legitur. Haskins, correctores codd. VUB secutus, *æquavere* scripsit. Ac re vera audacius dictum videtur illud, *admovere murum solo.* Tamen a codicum scriptura recedendum non puto. Dicere videtur poeta, muri pinnas cadaveribus cumulatis solo propius quodammodo venire.

**adsuescere** verbum semper transitivam vim habet. V. 371. *adsuetas sceleri.* V. 776 *fatis.* VI. 713 *adsuetam tenebris* VIII 452 *sceptris.*

**adscribere** VI 49 *Iliacos muros deis* IX. 853 *ætheriis causis, quod peream.* X 240. *Zephyros his aquis.*

**advertere** VIII. 567 *externas classes terris* Nonnulli codd. *adpellere.*

**concurrere** I 75 *sidera sideribus.* VII. 173 *Pindus Olympo.* VIII 326 *Cæsaris arma Medis.* Obermeier prave huc rettulit, quæ exstant V. 607. *æquora subductis etiam concurrere ventis possunt.* Nam *subductis ventis* ablativum absolutum esse, apertum est. Cfr. v. 605.

**conferre** 1) comparare: VII 144 *superis hominum labores.* 2) afferre: VI. 231. *vulnera nil morti meæ.* X 162 *mero senium* (*maturity* vertit Haskins) X. 270 *notitiam futuris.*

**confidere** verbum sequitur a) dativus: X. 82 *formæ.* b) ablativus IV. 406 *gente.* IV. 668 *robore.*

**cohærere** III 564 *percussæ capta* (sc. navis). Haskins multorum codd auctoritate permotus *percussa* scripsit. At multo meliorem sententiam præbet scriptura Hosii, quæ Cod. M debetur.

**committere** verbum apud Lucanum sæpe invenitur. Significat credere, tradere alqd alci. His locis comparet: III. 199 *Nilo aves.* III 517 *omne suum robur fatis.* III. 328 *arma illis* IV. 260 *agmina castris.* IV. 722. *sibi belli simulator commissi.* IV. 743 *aciem patulis arvis.* V. 138 *arcana vobis.* De hoc loco, quem codd. alius aliter exhibent) cfr Haskins Ceterum decem exempla ejusdem generis exstant, quæ enumerare supervacaneum habeo. Alia significatione usurpatum apparet his locis, ubi *incipere* significat. III. 325 *hæc proelia.* VII. 472 *committere bellum. In* præpositio sequitur IX. 372 *agmen in gentes.*

**connectere** V. 96 pars connexa tonanti IX. 5 axibus aer.

**componere** a) *cum* præpositio: III, 196 *Argo cum ventis pelagique — undis mortale genus* i. e. navigandi initium fecit. b) dat : aptare, accommodare III. 596 *carbasa ventis.* III. 717 *me mittendis telis.* De dativo *mittendis* cfr Schmalz pag. 125.

**conserere** II 442 *conserta bella bellis.*

**contingere** a) personali structura positum: VII. 727 *tibi vera fides.* IX. 65 *ignis Pompejo.* X. 284 *gloria genti.* Medium quoddam inter personalem et impersonalem structuram occurrit V. 529 *Quibus hoc contingere templis — potuit — nullo trepidare tumultu?* Nam pronomine *hoc*, quod subjecti loco positum est, ad infinitivum *trepidare* quasi protendendum valet. Eodem fere modo III. 388 *hoc memorandum contigit urbi, quod — cursum — tenuit,* ubi *hoc* ad enuntiatum, quod sequitur, spectat. b) impersonaliter structum sequente infinitivo exstat VI. 779. VIII. 844.

**incidere** verbum dativus sequitur IX. 330 *quæ (classis) fluctibus.*

**increscere** I 627 *capiti fibrarum molem alterius capitis* II. 376 *barbam genis.*

**incoquere** IX 699 *rores harenæ.*

**includere** verbum, quod apud alios poetas ejusdem ætatis ablativum sibi assumit, apud nostrum cum præpositione *in* structum comparet (Cfr Dræger p. 551) VI. 253 *numen in pectore inclusum.*

**inesse** a) de loco aliquo: IV. 644. *terris spiritus.* b) alci esse III 464 *ferro vis.* V. 18 *robur animis.* III 411 *arboribus horror.*

**inferre** verbum semper sequitur dativus I 161. *opes mundo subacto* IV. 164 *faciem vultusque minaces pugnæ.* V. 801. (Cornelia) *carinæ illata.* VI. 760 (mortuus) *illatus mundo* A *luci.* IX. 178 *velamina igni.* IX 198 *plura retentis opibus.* X. 12 *jura suis* (sc juribus). X. 58 *se tectis.*

**infodere** VI. 530 *animas busto.* Utrum dativus an ablativus sit, non elucet. Cfr Österberg p. 85. Aperta dativi forma apud Vergilium quoque exstat Aen. XI. 205 *terræ corpora.*

**infundere** verbo dativus subjicitur IV. 568 *multum cruorem mari. Cruoris* VGB et Haskins, *cruore* ut. IV. 616 *membris harenas.* VI. 568 *gelidis murmura labris* (cadaveris Erichto). IX. 59 *vulneribus fletus.* X 155. In codicibus legitur *infudere epulas auro.* Hosius conjecit *instruxere.* Neque facile intelligitur, quomodo epulæ infundi dici possint. Equidem puto *instruxere* vel *imposuere.* X. 166 *multum comæ.* *In* præpositio sequitur IV. 323 *in flavios saniem.*

**ingerere** translata significatione usurpatur II 263 *se belli fortuna tibi ingeret* i. e. e. tua opera et voluntate pendebit, qualis belli eventus fiat V. 165 *quod spiritus vati.* VII. 799. *nocenti Emathiam coelo,* i. e coelo deisque incusandi causa ostendere Bothe correxit *nocentem.* Sed antea v. 796 Cæsar, cladem videns deorum operam agnoscere narratur. Sententia hujus loci hæc est: Si deorum opera hæc fierent, deos nocentes i. e. sceleratos fore VIII 133 *tibi voces.* Hic annotandum puto Bentleium IV. 644 pro *egeritur* (sc. e terra) *in fessos spiritus artus* (Antæi) conjecisse

*ingeritur.* Nihil est, cur a codicum scriptura recedamus. II. 336 *contusaque pectus verberibus crebris cineresque ingesta sepulcri.* Cod M A cineris (in es corr). Difficultatem præbuit explicatio participii *ingesta,* quod minus solito modo significat, *quæ sibi ingessit.* Agitur de Marcia, quæ quum primum Catoni nupta, deinde Hortensio in matrimonium data esset, post mortem Hortensii ad priorem maritum rediit. Correxit Bentleius *crinesque aspersa favillis,* quæ scriptura audacius conjectantis videtur. Alii editores (inter quos Francken codicum scripturam retinuerunt. Cfr Hor. Sat Lib. I. 6 v. 73 *pueri — lævo suspensi loculos tabulamque lacerto* — qui sibi suspenderunt cet.

**ingignere** VI. 439 *herbas rupibus* (Thessala tellus) Hoc verbo Lucanum de vere locali motu primum usum esse Obermeier auctor est. (pag. 38).

**injicere** III. 242 *manum fatis.* IV. 640 *brachia membris.*

**injectare** III. 610 *carinæ manum.*

**illatrare** VI. 729 *manibus.*

**illidere** VI. 691 *illisæ cautibus undæ.* Cfr Claudianus XX. 431. *illidere scopulis.*[1]

**immergere** II. 484 *undæ pontem.* VI. 541 *manus oculis.*

**imminere** I 295 *Eleus sonipes foribus* — premere, urgere. Idem fere significat VIII. 285 *Carthaginis proles Hesperiæ.* IX. 442 *litoreis populator harenis.* VII 516. *campis aer.* Nonnulli codd *æther.*

**immiscere** II. 250 *cladibus inmixtum bellum.* II. 664. *montes harenis.* IV. 320 *fontibus inmixto veneno.*

**immittere** Eorum, quos perscrutatus est Österberg, nemo nisi Silius præpositionem ad hoc verbum iteravit. Exstat præpositio apud nostrum V. 221 *Lethen in viscera.* VII. 509 *manus in hostes* VIII. 643 *in istud caput immisse.* (De eo, qui Pompejum obtruncavit, dictum est). Ceteris locis dativus sequitur et id proprio sensu: I. 379 *ignem templis.* II. 457 *fluctibus Eurum.* II. 616 *immissum faucibus æquor.* V. 124 *deis vatem* (De antista, qui Pyrbiam ad fontem irè jubet). VI. 410 *prolem superis.* VI. 743 *tibi Titana.* VII 216 *immissus campis.* VIII. 457 *Cypro rates.* X 492 *lampadas carinis.*

**innasci** VI. 677 *innata rubris æquoribus vipera.*

**innectere** III. 475 *armis innexa arma.* V $U_1$ *innixa.* IV. 448 *fraudes ponto.* III. 23. Codd. habent *innupsit lepido Cornelia busto.* Codd $V_1$ $G_1$ m. *En nupsit,* quæ scriptura placuit Weisio, Obermeiero (p. 39) aliis. Quocunque modo res se habet, busto dativus non habendus est, quod Obermeier credere videtur, sed ablativus. Significat: quum bustum etiam tepidum esset

**impendere** II 382 *patriæ vitam.* IV. 112 *perpetuis aera nimbis* (Neptunus) Vertit Haskins: 'devote to' II. 569 *ætas impensa labori.* — VII. 617 *lacrimas mortibus.*

**impingere** a) *in* præpositio, quæ apud alios poetas ejusdem ætatis non invenitur, uno loco occurrit: VI. 406 *populos in arma.* b) dativus: V. 697 *te* (Cæsar) *harenis.* IX. 338 *inpactum brevibus mare.* Nonnulli codd. *brevius.*

**imponere** a) proprio sensu: II. 124 *ora* (Antonii) *mensæ* (miles). II. 170 *ora rogo.* IV. 140 *robora ripis.* V. 676 *Hæc fatum* (sc. Cæsarem) *terræ imposuit fluctus.* VI. 2 *castra jugis.* VI. 252 *defectum humeris* — defessum. Codd. Nb VI. 525 *aris flammas.* VI. 711. *caput lancibus.* VIII 147. *comitem carinæ.* X. 145 *dentibus orbes* i. e. parvas mensas pedibus eburneis. b) translate: 1) — dare, tribuere: III 274. *nomina ripis.* V. 49 *Magno fatum patriæ.* VIII 785 *finem officio* X. 173. *modum epulis.* 2) — præficere: III. 393. *virum mundo.* X 377 *illum* (Cæsarem) *orbi.*

[1] Cfr Trump, de dicendi genere Claudiani Vratisl. 1887 p. 12.

**imprimere** IX. 806 *dentes hæmorrhois Tullo.*

**imputare** VIII. 658. *Pompejo præstare potest, quod Cæsaris armis imputet.* Hæc verba dicit Cornelia, petens ut aliquis se interficiat. Vertit Haskins: *Which he may reckon as a service done to Cæsars arms.* Quæ versio vix accipienda videtur. Quod dicit H., eam esse hujus verbi significationem apud posteros, hæc sententia exemplis, quæ collegit Östberg, non probatur; sed ex his apparet eandem vim, quam habent *assignare, adscribere,* plerumque in hoc verbo inesse. Ob eamque rem hoc fere modo locum nostrum intelligo: Qui eam obtruncaverit, Pompejo gratum faciet. Sin minus hoc munus Cæsari traditur, ut qui non modo Pompejum sed etiam uxorem ejus interficere velit.

**insculpere** X. 180 *quodcunque insculptum est adytis.* Cod G *inscriptum.* In plurimis codd. hic locus corruptus est. Apud poetas alios ejusdem ætatis *insculpere* verbum cum dativo conjunctum non exstat.

**inserere** verbo dativus semper subjungitur. a) = injicere, II. 300 *ignibus manus.* III. 635 *puppi uncos.* V. 93 *terris regendis pars Iovis.* De gerundivo cfr Schmalz p. 425. VI. 504 *insereret flammis umbras.* Pro verbo insereret *infererretque* Cod V. VI. 547 *chalybem manibus.* VI. 638 *inserto laqueis unco.* IX. 483 *manus terræ.* IX. 572 *hoc nobis* (i. e. animis nostris) *Hammon.* IX. 930 *pestis inserta medullis.* b) = addere VI. 411 *se astris.* IX. 1072 *nostro sua tela labori.*

**insidere** VI. 17 *castris.*

**inspuere** VI. 683 *quibus os inspuit Argv imbuit.*

**instare** a) = urgere V. 315 *nolentibus.* V. 724 *castris* b) = adesse, imminere. VIII. 177. *Ursa minor ceruchis.* c) = rem persequi. I. 148 *favori numinis.*

**insurgere** V. 704 *videre boream coelo insurgere.*

**invehere** III. 536 *molem profundo.*

**invidere** verbum sequitur a) solus dativus: X. 273 *Nilo.* b) dativus cum ablativo rei VII. 798 *igne rogi miseris.* Hanc structuram, quæ apud poetas ejusdem ætatis non invenitur, ita explicari vult *Dræger,* ut ablativus causæ, qui vocatur, accipiendus sit. (Dræger pag. 404.) Sed melius *Kühner,* qui putat eam structuram ad similitudinem ejus, quæ sequitur verba privandi, formatam esse. Cfr exempla, quæ contulit Kühner l. l. p. 228.

**invigilare** VII. 766 *cunctis scelus.*

**intermanere** VI. 47. *mediis agris.*

**occumbere** verbum cum certa ablativi forma conjungitur IV. 165 *ignava morte.* Incerti casus forma sequitur II. 198 *infesto leto.* Mi B *succumbere.* IX. 129 *Cæsaris armis.* Cfr Kühner pag. 214 a. 1. Dræger contendit hoc verbum et apud Vergilium et apud posteriores cum dativo strui solere. Sed observandum est, neque apud nostrum neque apud æquales ejus certam dativi formam exstare.

**occurrere** 1) proprio sensu: a) dativus personæ. II. 54 *Hiberis.* VI. 298 *hostibus.* IX. 397 *mihi serpens.* b) dativus rei: III. 704 *puppibus.* X. 200 *quæ (sidera) polo.* Cfr Claudianum XVII. 104. *sidera obluctata polo*[1] 2) translate: I. 480 *majorque ferusque mentibus Cæsar,* i. e. videtur. IV. 480 *fato.* (φθάνειν Haskins). VIII. 436 *tibi monimenta cladis.*

**obducere** non nisi *tegere* significans reperitur. Duo exempla inveni III. 735 *oculos tenebræ obduxere* et ablativo opposita IX. 109 *caput ferali amictu.*

**offerre** III. 43 *puppibus accessus.* III. 608 *fratrem lugentibus.* VII. 238 *oblatum sibi tempus.* IX. 64 *officium manibus.* IX. 209 *cui (= Pompejo) enses.*

**objicere** VIII. 796 *Magno tumulum.* Translate = incusare, exprobrare. IX. 188 *Pompejum deis* i. e. deos de morte Pompeji incusare.

[1] Tromp l. l. p. 41.

**obluctari** III. 662 *morti.*

**opponere:** a) in præpositio: I. 220 *in oblicum sonipes amnem.* b) dativus: II. 480 *oppositus tiro Miloni.* II. 552 *manus furenti.* II. 620 *montes mari.* III. 533 *robur pelago.* III. 561 *rostris carinas.* VI. 336 *radiis umbras.*

**obsistere** III. 113 *viribus iura.*

**obstare** a) = oppositum esse, impedire. I. 150 *quidquid sibi summa petenti.* VII. 153 *venientibus æther.* VIII. 379 *sagittæ.* IX. 528 *nil Phoebo.* IX 693 *nox lunæ meatibus.* X. 38 *illi* (Alexander Hammon) b) VI. 194 *nec quidquam nudis vitalibus obstat præter stantes in summis ossibus hastas.* i. e. hastæ ossibus infixæ quasi obstaculum oppositæ impediunt, ne missilia ad vitalia penetrent.

**ostendere** solito modo structum his locis apparet II. 572. VI 738. VII. 419 VIII. 131. IX 75.

**obtendere** VIII. 339 *quid causa obtenditur armis libertatis amor?*

**præducere** VI. 466 *nubila Phoebo.*

**præferre** a) proprio sensu III. 166. *Pompejanis gaza triumphis.* b) translate: I. 443 *toti prælate Comatæ.* II. 275 *prælata suis castra.* VIII. 457 *Cui* (Cypro) *nullas aras* (Venus). VIII 576 *letum timori.* VIII. 858 *tuos manes Jovi* i e. potius tuos manes sacrificiis venerari. IX. 199 *arma togæ.* IX. 229 *quem* (Pompejum) *paci.* IX. 1095 *nobis omnia.*

**præficere** X. 351. *Quem* (Achillam) *armis.*

**præmittere** VIII. 779 *Auroræ præmissa dies.* Codd. UG Ceteri codd. *promissa.*

**præponere** VII. 283 *Magnum rebus.*

**præsidere** V. 400 *Albæ.*

**procumbere** V. 360 Haskins scripsit *procumbite terræ.* Hosius et codd. *terra.* Ablativus accipiendus est etiam III. 512 *montibus arbor.* *Supra* præpositio exstat VII. 672 *supra ducem. In* præp. III. 616 *in æquora.*

**prodesse** solita structura his locis usurpatur. II 104 *nulli ætas.* III. 318 *votis Jovi.* IV. 792. IV. 761. IV. 799. V. 587 *proderit undis. proderit undas* Cod G VI 304. VII. 210. IX. 203. IX. 1051. X. 220.

**succumbere** VIII. 70 *fatis.*

**succurrere** V. 647 *miseris.* VIII. 278 *Romanis rebus.* Utroque loco significat adjuvare, auxilium ferre.

**subdere** V. 377 *subdita montibus.* X. 213 *Cancrum, cui subdita Nili ora.*

**subducere** II. 717 *montibus Argo.* III. 492 *unum saxis.* IV. 580 *pavidas vitæ.* V. 733 *tempus fatis.* VI. 287 *vela procellæ.* VI 456 *armaturæ pignora fetæ.* VII 673 *mortem Cæsaris oculis.* VIII. 745 *robora membris.* X. 412 *acies Thessaliae.*

**subesse.** I. 158. Haskins scripsit hoc modo: *hæ ducibus causæ suberant: sed publica belli semina cet.*, codd. MBU secutus. (Cfr Hosius h. l.) Sed mea quidem opinione melius distinguit Hosius, qui notam post verbum *causæ* posuit. Vertit Haskins: *Were the hidden motives*, afferens, quæ exstant Virg. Ecl. IV. 31. *pauca tamen suberunt vestigia priscæ fraudis.* Sed melius, si ad ea, quæ sequuntur, *suberant* verbum rettuleris, res enarratur. Nam quum poeta inimicitias ducum, quæ proximæ causæ civilis belli erant, antea persecutus est, nunc ad magis remotas et quasi latentes causas, corruptas scilicet mores et luxuriem hujus ætatis, exponendas transit. Ubi aptissime ponitur verbum illud *suberant*, quod significat: quasi latentes et clam exstabant.

**sufficere** = satis esse, parem esse. Sequitur a) dativus: II 87 *vir fato.* II. 653 *aliis moenia.* III. 19 *operi.* III. 50 *fortuna viro.* V. 356 *quibus orbis.* VII. 368 *Cæsar armis.* VII 536 *cruor campis.* IX. 510 *omnibus unda.* X. 456 *cui spatium non sufficit orbis.* b) *ad* præpositio: V. 696 *ad fatum belli favor iste fortunæ.* c) *in* præpositio X. 526 *tyrannus in poenas.*

d) et dativus et *in*. VI. 53 *Assyriis quantum populis — sufficit in regnum* ubi *in* significat finem. Eodem modo VII. 608 *illi spiritus in vocem* i e. adhuc tantum spirabat, ut vocem exprimere posset.

**suffigere.** De hujus verbi structura cfr Österberg, de structura cet. apud. Sil. Ital. p. 37. Occurrit apud Lucanum aperta dativi forma IX. 328 *antennae lintea summae*. Ablativus habendus est VIII 684 *veruto caput*.

**subigere** I 285 *tibi orbem*. Solus cum dativo hoc verbum conjunxit Lucanus.

**submittere** a = sub aliquid mittere, ponere: VI. 510 *tecto caput*. b) = gignere, proferre: IV. 411 *pabula pascendis equis*. IX. 182 *depastis summittere gramina campis* i. e. efficere, ut gramina denuo nascantur. Sed verbum campis hoc loco ablativus habendum est.

**submovere** verbum quamquam re vera non huc pertinet, hoc loco affero, quia apud Lucanum cum dativo conjunctum primum apparet VIII. 689 *capiti tabes submota*. IX. 725 *sibi vulgus*. Ceteris locis ablativus accipiendus videtur ut VIII. 585 *Thessalicis summota malis* V. 71. *eoo* (sc. cardine).

**subrepere** a) dativus: II. 506 *vinea muris*. VI. 753 *desuetis subrepens vita medullis* (de mortuo, qui in vitam revocatur. b) *in* præpositio: II. 391 *nullos in actus voluptas*.

**subtexere** IV. 104 *nox subtexta polo*.

**superesse** = superstitem, reliquum esse III. 468 *telo post vulnera cursus*. IV. 478 *vita nulli*. IV. 501 *majora obsessis*. V. 211 *loculae deus*. Nonnulli codd. *locula est*. VII. 814 *mundo rogus*. IX. 865 *majora ingressis*. Cujus rei pars quædam supersit, *ex* præpositione addita exprimitur. VII. 717. *immenso ex nomine multum*.

# Caput V.

Hoc capite pauca quædam verba tractabo, quæ præter accusativum aut dativum aut ablativum sibi assumunt. Cujus duplicis structuræ quæ causa et origo fuerint, facile apparet. Nam quum in verbis compositis præpositionis vis evanuisset, et præpositio cum verbo in unum coaluisset et verbum ad simplicis cujusdam verbi vim propius accessisset ob eamque rem etiam cum dativo conjungi posset, fieri potuit, ut eadem res nunc proximum objectum esse, nunc ad remotiorem relationem pertinere videretur. Itaque post hæc verba aut accusativum cum ablativo aut dativus cum accusativo ponebatur. Hoc modo, ut exemplum afferam, factum videtur, ut verbum *circumdare* aut ad similitudinem verborum, qualia sunt *ornare* cet, aut eodem modo, quo cetera verba transitiva, quæ sibi adsciscunt dativum, strueretur.

Horum verborum hæc exempla inveni:

**circumdare:** a) dativus et accusativus X 327. *montes natura vagis circumdedit undis. (mortes* C.) b) accusativus et ablativus: II. 450 *moenia vallo*. II. 478 *circumdata muris tecta*. IV. 29 *agmina fossa*. IV. 421 *aequor trabibus*. VI. 49 *fragili circumdata testa moenia*. VI 44 *circumdatus aggere*. VI 108 *c-tus obsidione*. VIII. 264 *nullis circumdatus armis*

**circumfundere** verbum, quod alii scriptores sæpe cum ablativo et accusativo conjungunt, apud nostrum dativum et accusativum tantum sibi assumit. IV. 171. *milia circumfusa vati* V. 680 *circumfusa duci turba*.

**induere** a) VIII 240 *raptos indutus amictus*. b) VI 655 *vario induitur amictu*. VII. 835 *tanto se volture coelum*.

**implicare** III. 432 *implicitas magno torpore cohortes.*
**involvere** I. 542 *orbem tenebris. Obermeier* (p. 28) contendit huic verbo dativum quoque subjungi; quod nullo loco inveni. (IX. 485 *harenæ* genetivus est).

---

# Caput VI.

Quum ad verba, de quibus hoc libello disserui, dativi aliorumque casuum usus magis magisque cresceret, effectum est, ut verborum quæ cum præpositione struuntur, plurima cum casuum quoque formis conjuncta inveniantur. Verba, quæ utramque structuram patiuntur, quum de verbis dativum cet. regentibus disputavi, jam allata sunt. Restant tamen verba quædam atque ea perpauca, quibus apud poetam nostrum præpositiones tantum subjiciuntur. Quæ hoc ultimo capite afferam:

**afferre** II. 98 *in castra nefas.*
**accurrere** X. 356 *ad thalamos.*
**attollere** VII. 11 *nomen ad sidera.* X. 288 *in ardentem ripas Cancrum.*
**concinere** I. 238 *cum rauco classica cornu.*
**convenire** II. 173 *cum cervice recisum caput.*
**inducere** II. 387 *membra super togam.*
**impellere** I. 69 *populum in arma.* Idem fere VII. 718 *gentes in arma.* III. 232 *fluctus in eurum.* V. 146 *hærentem in templum.*
**intendere** IV. 262 *fugam ad moenia.*
**producere** II. 298 *funus ad tumulos.*
**prolabi** VIII. 426 *Sasa in tumulos prolapsa.*
**subsidere** VI. 643 *in præceps humus.*

